BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS

Kat. Komp.
390222
Mag. St. Dr.
I

390222
Mag. St. Dr. I

2?2/61/50

MONUMENTA VIRTUTIS VENCESLAI RZEWUSCII PALATINI CRACOVIENSIS.

MONUMENTA VIRTUTIS VENCESLAI RZEWUSCII

PALATINI CRACOVIENSIS

OLIM

SUPREMI EXERCITUUM REGNI

DUCIS

LITERIS PONTIFICIIS, REGIIS, ALIISQUE TESTIMONIIS, CONFIRMATA,

ATQUE IN UNUM COLLECTA

PER SAMUELEM CHROSCICOVIUM

E SCHOLIS PIIS.

LUBLINI

Typis S. R. M. & Reipublicae

Anno Domini MDCCLXXIV.

390222
I
Gymn. Bibl. Jag. 179.

AD VENCESŁAUM RZEWUSCIUM PALATINUM CRACOVIENSEM OLIM SUPREMUM EXERCITUUM REGNI DUCEM.

Cum monumenta, praestantissimarum TUARUM, VIR AMPLISSIME, dotum, sorte quadam, in manus meas incidissent, atque ea, pro posterorum non modo admiratione, sed etiam imitatione, in unum redigere volumen, animo destinârim; non diu sané deliberandum mihi fuerat, cui

nam potissimùm, opus hocce, mole quidem sua exiguum, at Civitati nostrae perutilibus exemplis refertissimum, dicare deberem. Æquum enim ac ipsi rei maximopere consentaneum visum est, ut libellus, quô gravissima ac perhonorifica Virtutum TUARUM monumenta continerentur, à TUO quoque Nomine decus & ornamentum repeteret. Nomen quippe TUUM adeò illustre ac splendidum est, ut nulla regio tam remota & inaccessa esse videatur, quò ejusdem gloria non pervaserit. Quem videlicet latere possunt, amplissima perquàm vetustae RZEWUSCIORUM Gentis decora? Quis adeò rerum omnium ignarus censendus est, ut eidem summa Majorum TUORUM in Religionem, atque Rempublicam nostram toga sagoque merita probè non sint perspecta? Sed enim VIR AMPLISSIME TUA propria gloria mihi abundè

suffi-

ſufficit; qui ita cum Majoribus TUIS de eadem certaſti, ut non minus ob ijs ſplendoris accepiſſe, quam illis attuliſſe, videreris. Si namque vel ipſa Ætatis TUÆ exordia animo perluſtrare velim, obverſatur illico menti, tanta, Virtutum TUARUM, in ea. copia; ut jam tùm ad maxima Reipublicae munia capeſſenda TE idoneum, atque divinitùs deſtinatum, ſuſpicerent univerſi. Nam ſive Oratoris Publicì identidem officium praeſtares; ſive Lublini, Petricoviae, Radomiae, Praetor Maximus pro Tribunali ſederes, quî TE in his honoribus & Magiſtratibus adhibuiſti? Ea ſcilicet dexteritate perplexa quaevis & ardua Reipublicae negotia tractaſti, eâ aequitate & fide jùs dixiſti, ut & fidum Reipublicae Oratorem, & integerrimum ſubſelliis Judicem, & denique Optimum TE Patriae probares Civem. TUA quippe & iſtud: cùm ſumma induſtria, tum admiratione

dignissima praestitit Virtus, ut maxima illa Comitia, Pacificationis dicta, felicem exitum sortirentur, atque TE illorum Praeside & Auspice triginta ferè Annorum pacem nostrae Reipublicae otiumque adferrent. Quare prospiciens animô, prudentissimus ille rerum nostrarum Moderator, AUGUSTUS III. TE, nisi ad maxima natum summo Reipublicae futurum ornamento, aequum apud animum statuit suum, primò excelsam Palatini Podoliae, tùm honorificentissimam Palatini Cracoviensis conferre TIBI dignitatem. Ergo addicentibûs avibûs, illâ sex & viginti annorum spatio es perfunctus, hanc quod TIBI felix ac fortunatum sit, bissenos jam annos ita praeclarè administras, ut Respublica praestantissimum in TE Senatorem, Ecclesia verae Religionis strenuum Propugnatorem, nactas se esse glorientur. Cum etenim omni liberali arte excultus,

huma-

humanioribus literis belle perpolitus, optimis disciplinis imbutus sis; praeclare gravissimi & probatissimi Senatoris provinciam sustines, bonoque publico, Religioni, & Patriae TUÆ sapientissime consulis. Quid autem, ego de invicto animi TUI robore dicam, quô cum Reipublicae salutem tum Cultûs DEI majestatem integritatemque defendis? Illa, illa est, VIR AMPLISSIME, mentis TUÆ constantia, ut nulla vi debilitari frangique potuerit; hic in propugnandis legibus Patriis ardor, ut potiùs duxeris è sinu carissimae Patriae ad exteras oras abripi, exilium unius lustri perferre, molestias exhaurire, devorare taedia, quàm ab aequa animi TUI sententia dimoveri. Atque haec sunt praeclara togae decora & ornamenta TUA: num minora illa, quae TIBI sago peperisti? Cum etenim à juventute TUA, datô militiae nomine, multa stipendia fecisses; Ma-

giſter Equitum dictus, decem & triginta annorum lapſu, ità hoc in munere ſtrenuè operam militarem virtutemque TUAM probaſti; ut deinceps TIBI, jam Campeſtri Regni noſtri Notario, afflictis Interregni temporibus, quae Auguſti II. Regis noſtri exceperant mortem, Reſpublica, Camenecum, munitiſſimam Urbem, Poloniae Religionisque propugnaculum, tuendum defendendumque committeret. Faeda tùm rerum noſtrarum facies erat, infeſtus miles latè vagabatur, multaſque Civitates & oppida, aut vi cepit, aut dolo & fraude occupavit. Non Cracovia, non Dantiſcum, non Elbinga, non Brodenſe, ac Stanislavovienſe propugnaculum, vacuum ab armatis hoſtibus erat. Zamoscia etiam praeſidium Polonorum excedere juſſum; paucis, Polonia ipſa Polonis erepta videbatur. Cùm itaque armorum ſtrepitu perſonarent omnia, cùm nihil, praeterquam dira vaſti-

vastitas, vulnera, & sangvis, spectaculo essent, quantùm consilium Tuum, & bellica virtus in arcendo & propulsando à Cameneco hoste enituit? Ne verbum ego: Maenia ipsa, & tecta illius Urbis, Defensoris sui, laudes celebrare, gratiasque referre videntur. Haec igitur & alia praeclara Tua in Rempublicam merita, quemadmodum olim AUGUSTUM *III. Regem optimum adduxerunt, ut* TE *Campestrem Exercitus Regni crearet Ducem; ita hodie Sapientissimum Regem nostrum* STANISLAUM AUGUSTUM, *integerrimum Virtutis meritorumque Arbitrum, haec eadem impulerunt, ut* TE *uno, supra viginti annos Campestris Ducis munere, Summa cum laude defunctum, ad Supremi tandem, Exercitûs Regni, Imperatoris eveheret dignitatem. Ita annuente Numine, & ducentibus fatis, actum est, ut Clarissimi Viri Parentis Tui vestigiis insisteres:*

qui

qui pariter in eodem Magiſtratu egregié verſatus, cum Reipublicae ſummum decus attulit, tùm nomen ſuum ad ſeram poſteritatis memoriam propagavit. Verùm enimverò, cùm & Majorum TUORUM gloria, & propria laude pulcherrimè floreas; tum non minus ſplendoris à caro TIBI Filio, aerumnarum, exiliique individuo Comite, trahere videris. Quippe, ubi gravi morbo conflictareris viribuſque tandem exhauſtis ſummô Exercitûs imperiô abdicare TE animo deſtinares, ſimul ac, quod in votis erat, feciſti; continuò Sapientiſſimus Regum, Campeſtris Ducis Exercituum Regni, honore, Filium praeprimis, TIBI carum, ornandum cenſuit. Quodque aliis aut benè confirmata aut ad ſenium declinante aetate tribui ſolet; iſtud Ei flore quidèm aetatis, ſed jam maturâ ad Imperium prudentia & Virtute conceſſum eſt. Haec itaque ſunt praeſtantiſſima documentum

tum

tum TUARUM meritorumque pace & bello parta decora, quae animum meum impulerunt, ut monumenta Virtutis Tuae, Pontificum Regisque nostri testimoniis confirmata, TIBI ipsi dicarem. Nec innata benevolentia TUA, quâ & me, & Scholas Pias, constanter prosequeris, dubitare me sinit, fore, ut hunc exiguum libellum benignus accipias: quem dum TIBI in perenne observantiae gratique animi mei documentum offero, TUO me patrocinio & praesidio maximopere commendo.

Samuel Chróscicovius

è Scholis Piis.

MONUMENTA VIRTUTIS VENCESLAI RZEWUSCII

PALATINI CRACOVIENSIS
OLIM
SUPREMI EXERCITUUM REGNI
DUCIS.

LITERÆ CLEMENTIS PAPÆ XII.
AD VENCESLAUM RZEWUSCIUM
OLIM PALATINUM PODOLIÆ

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

MOlestissimus rumor ad Nos pervasit, inclytum Polo-

Poloniae Regnum, firmissimum adversus Barbaros propugnaculum, perditorum nonnullorum hominum perfidiâ superioribus hisce diebus, in suae discrimen tranquillitatis, adductum fuisse. Hoc luctuosissimo nuntio, pro Paterna ac singulari Nostra in Vestram Gentem caritate, propemodum exanimati fuimus, satis edocti praeteriti memoria temporis, quid malorum, per ea Loca Sanctissimae Nostrae Religioni, Vestrisque Civibus, commota illic rerum novandarum tempestate, evenerit. Hinc enimvero noster in Nobilitatem Tuam amor singularis vehementiùs exarsit,

dum ſimul cognovimus, ope, conſilio, auctoritate Tua prorſus evanuiſſe paratas inſtructasque inſidias, atque ab atroci diſcrimine Religionem, Remque publicam Veſtram reſpiraſſe. Quocirca ſedulitati Tuae ingentes dedimus laudes ac partum Tibi tantum decus, ornatiſſimis verbis proſecuti ſumus, optamusque exhiberi abs Te nobis, in quo poſſimus gratum animum Noſtrum, propenſamque Voluntatem Tibi oſtendere, atque in omnium oculis collocare. Perſuaſum habemus, Te obiti periculi horrore diligenter admonitum, nihil praetermiſſurum,

quo in posterum ejusmodi perfidiae penitus occludatur iter. Attamen cum tanti momenti res agatur, ut nunquam satis cautum sit, ubi experientia didicerimus, non Religionis, quod imminebat discrimen, non insitam Civibus Patriae Caritatem, non scelesti facinoris infamiam, tanti fuisse, ut à suscepto proposito detestabiles Proditores deterruerint; Nos quoque, pro universi Christiani Gregis sollicitudine, praecipuaque, in Observantissimos, Catholicae Fidei, Romanaeque Sedis, Polonos Vestros, dilectione, Tibi, ut ajunt, currenti stimulos

addi-

addimus, ac ſuademus, ut ad communem Salutem, ad Otthomanorum, nunquam non inſidioſam amicitiam praecavendam, ad refraenanda, turbulenta ingenia, quae iſtic favere Barbaris, nemo unquam putaſſet, ſedulò adhibeas induſtriae, auctoritatis, prudentiae, robur: ab Auctore Sanctiſſimae Noſtrae Religionis DEO, eximii hujuſce meriti praemium relaturus, à Tuis Civibus diligentiae fructum, ab omnibus immortale decus, á Nobis denique non vulgarem benevolentiam, cujus nunc pignus accipies, Apoſtolicam Benedictionem, quam

Tibi Dilecte Fili, Nobilis Vir, peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem. Sub Annulo Piscatoris. die XVII. Septembris. MDCCXXXIX.
Pontificatus Nostri.
Anno Decimo.

LITERÆ CLEMENTIS PAPÆ XIV AD VENCESLAUM RZEWUSCIUM PALATINUM CRACOVIENSEM

CLEMENS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Ex

Nun-

Nuntio, Literis Venerabilis Fratris Josephi, Archiepisco-pi Beriti, Ordinarii Nostri in Polonia Nuntii, Nobis allato, Te, Delecti Fili, Nobilis Vir, Patriæ ac libertati incolu-mem tandem esse restitutum eò uberiorem lætitiam animo sane caepimus, quò major an-tea ex tuo casu & à Sa: Mem: CLEMENTE XIII. Praede-cessore nostro, & à Nobis mo-lestia erat suscepta, & pro Te, Tuoque reditu, adhibita ope-ra. Quamobrem DEO Opt: Max: ingentes gratias ha-bemus, quod Te salvum at-que incolumem Patriæ Tuis-que reddiderit, & Tibi ma-

gnopere gratulamur, ac Nobis ipsis laetamur, cum novos atque egregios ex praeclaro Tuo Catholicæ Religionis tuendæ Studio fructus in Ecclesiam redundaturos expectemus. Opportuniora haec Virtutis tuae praesidia atque adjumenta hoc tempore potissimum accidunt, quo majore in metu sumus, ne qui conatus .in proximis Regni Vestri Comitiis, ne quae molitiones in Divini cultus & avitae Vestrae Religionis integritatem fiant. Quamobrem te praestò futurum ad hujusmodi offensiones ac detrimenta, quantum in te erit, amovenda

da ac repellenda omninò confidimus, & Nostro in Polonia Nuntio praesidia omnia, quae inesse in Te poterunt, Te propterea libentissimè praestiturum. Hoc praeclaro Tuo exemplo caeteros Cives tuos ad eximiam fidei defendendae imitationem, & ad suum erga Patriam ac Religionem pernecessarium tuendum Officium excitabis. Nulla re item melius Divinam Tibi clementiam conciliare ac demereri Te posse existimato. Apostolicam etiam Sanctam hanc Sedem, & Nostram Pontificiam erga te Caritatem, praestantibus his tuis meritis mirè de-

vincies, ut nihil in Te Tuamque Domum proficiſci à Nobis poſſit, quod non perlibenter Tibi delaturi ſimus. Jnterim ut aliquod Paternae Noſtrae in Te benevolentiae argumentum habeas, Tibi, Tuoque Filio, qui comes ac ſolatiumLaboris tui fuit,quemque propterea etiam peculiari dilectione complectimur, ex Eccleſiæ theſauris impertimur & concedimus, ut quodcunque Templum arbitratu Veſtro quotidie inviſeritis, in eoque DEUM precati fueritis, omnes eas indulgentias conſequamini, quas acquireretis, ſi Vatica-

num

num hoc Apoſtolorum Principis Templum adiretis. Decimum Apoſtólicam Benedictionem, Tibi, Tuoque Filio, ac univerſae Tuae Familiae peramanter impertimur. Datum Romae apud S.MARIAM Majorem Sub Annulo Piſcatoris die VI. Martii. MDCCLXXIII.

Pontificatus Noſtri
Anno Quarto.

LITERÆ STANISLAI AUGUSTI Poloniarum Regis, Magni Ducis Litvaniae, &c: ad Venceslaum RZEWUSCIUM Palatinum Cracoviensem, Supremum Exercitus Regni Ducem. Latino sermone redditae.

CUm Tibi traderem insigne Jmperii, Summi Exercituum Regni Jmperatoris; anté merita Tua, cum praemio comparavi, & utrum-

utrumque per omnia, ſibi par & aequale inveni. Ex animo igitur, in praeſentiarum quoque, annuo precibus Tuis, ſubſcribens ac ſubſignans vota, in literis ad Me datis, à Te expoſita. Hinc capito argumentum, quanti Te faciam: tùm ſcias, ex animo me optare, ut in longam aetatem optima fruaris valetudine, atque uti omnia Tibi ex voto fluant. Varſav: Prid: Cal: Jul: MDCCLXXIII.

STANISLAUS AUGUSTUS REX.

Dignus Pater eſt, digni Filii, quos ego benevolentia compleɛtar mea, & magni aeſti-

mem

mem: illudque mihi in lucro, atque curarum angorumque meorum levamine, deputo, potuiſſe me, cùm horum, tum illius cohoneſtare & ornare Virtutem.

LI-

* *

LITERÆ FRANCISCI XAVERII BRANICCII Supremi Exercitûs Regni Ducis ad Venceslaum RZEWUSCIUM Palatinum Cracovienſem. Latinè redditae.

CUm animi Tui magnitudinem, Conſiliorumque Sapientiam vehementer ſuſpiciam, non poſſum, unà cum Collegio Magiſtratuque Virorum Militarium, graviter non dolere, ſtatuiſſe Te, ob fractas publicis laboribus vires, ſummum Jmperium mili-

militare deponere, atque insignia Supremi Copiarum Regni Ducis, in manus Clementissimi Regis nostri consignare. Te quippe Majore Collega meo, servire armis Patriae, perquam jucundum mihi foret, inque dubiis ejus, ac perplexis, rebus, à TE usu & experientia arma tractare docto, lubens consilia caperem. Nihilominus, cùm eam jacturam, quam in Te subeo, praestet mihi abundè Filius Tuus, Dux Campestris Exercitûs Regni, mihi in Collegam hodie adlectus, qui á Patre suo, amorem Patriae, probatam luculenter in ea defen-
fen-

fendenda constantiam, aliasque praeclaras Virtutes cum sangvine traxit; maximis, unà cum Collegio Virorum Militarium Regni, gestio laetitiis, eò, quòd certo certius teneam, mihi in ejusmodi Collega, nec prăeclara Patris decora, quae admirer, nec fortia ejus facta, quibus erudiar, defutura. Te autem etiam atque etiam oro, ut licet communioni laborum Te subduxeris, in rebus tamen, quae contingere possunt, difficilibus, & mihi, & Collegio Militari praestò adsis. Quam Tuam operam, consiliumque, majorem in modum cupio.

Varsaviâ. d. 16. Febr. 1774. I D,

ID, QUOD SEQUITUR, EXCERPTUM EST, EX NUNTIIS PUBLICIS COLONIENSIBUS, ATQUE LATINE REDDITUM

N. XV.

Die Martis VIII. Calend. Mart. MDCCLXXIV.

V*Arſaviâ. V. Id. Februarii.* Venceslaus RZEWUSCIUS Palatinus Cracovienſis, Vir, fama celebris, virtute ſpectatus, Supremi Exercituum *Regni* Ducis Magiſtratui renuntians, in manus *Regias* illum conſignavit. *Rex* porro eundem Magiſtratum contulit Co-

miti

miti *BRANICCIO*, Campestri hactenus Exercitus Regni Duci. Quia vero, provectione Braniccii, munus Ducis Campestris vacabat, continuò STANISLAUS AUGUSTUS, Princeps Optimus, qui novit, & vult, sua virtuti reddere praemia, dignatus est illo honore Severinum *RZEWUSCIUM*, Praefectum Dolinensem, immortalis Palatinii Cracoviensis Filium, hisque secum verbis, allocutus est: *Accipe haereditariae in Tua Gente Virtutis & Constantiae praemium*. Incredibile est, quantis univerus Senatus, omnis Equestris Ordo,

totaque Urbs, laudibus celebravit, prudentiam Regis Nostri, in seligendis Viris, quibus Reipublicae Magistratus committeret. Etsi autem nemo est, cui nobile pectus, tenerumque animum natura dedit, qui non acerbè ferat, Patrem, Virum scilicet, summorum meritorum, & ejusmodi literaturae, quae luci dignitatis ejus novum adijcit splendorem; aequé constantem strenuumque Defensorem Religionis, ac magni animi Virum, qui libertate potiùs spoliari maluit, quàm suae deesse Patriae; etsi, inquam, nemo non lugeat, talem

lem Virum, à vulgo & ſcena, in ſecreta ſe revocare, & ſecum vivere; tamen eô ſolatiô levat ex parte dolorem, quòd oculis uſurpet, ad primos Reipublicae Magiſtratus, evehi Filium ejus: vivum ſcilicet virtutis Paternae ſimulacrum: dignum exilii Patris & exhauſtae calamitatis ſocium: quae omnia pluribus annis, nedum in virile robur confirmatâ, nedum ad aerumnas induratâ aetate, fortiter perpeti, & in partem doloris venire, non dubitavit. Urgebat enim tenerrimus in Patrem & Patriam amor. His duobus

ſtimulis celſus ille cùm age-
retur animus, libenter ſe de-
vovit, in Patrem
aequè ac Pa-
triam pius.

V.

N. XVII.

EX NUNTIIS COLONIENSIBUS.

Die Martis. Calend. Mart.

MDCCLXXIV.

V*Arſaviâ. XIV. Calend. Mart.* Parùm exiſtimans eſſe, STANISLAUS AUGUSTUS REX, praeterquàm verbis *Comiti RZEWUSCIO*, celebris Palatini Cracovienſis Filio, ſuam benevolentiam declaraſſe; voluit iuſuper, Regiis literis ſuis, & merita non ita pridem creati Ducis Campeſtris Exercituum Re-

gni, & ſuam aequitatem in conferendis dignitatibus, poſteritati commendare. Inſeruit enim literis ijsdem laudes, cùm Principe Optimo, tùm ditionis ſuae Viro, digniſſimas, in haec verba:

Sponte noſtra, *Comitem Rzewuſcium* Praefectum Dolinenſem, *celebris Comitis Rzewuſcii, Palatini Cracovienſis, & hactenus Maximi Exercituum Regni Ducis*, Filium, Campeſtrem Regni Copiarum jubemus Ducem: *Spe-*

cta-

ſtatô ſcilicet ingentî E-
us ſtudio, quod à tene-
ra aetate ſingulari ratio-
ne, & Nobis, & Reipu-
blicae probavit, dum de-
nandatos ſibi publicos
Magiſtratus praeclarè
gereret, atque cum ſuó
venerando Patre omniâ
lura & acerba ſervitu-
is tolerare, obverſantis-
que animo mortis metu
ontinuo confici, potiùs
haberet, quàm ſuis erga
Patriam deeſſe Officiis.

Bibl. Jag.

CUM PERMISSIONE
SUPERIORUM.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0025482